

nem vix merentur. Notum enim est, ἢναι esse praesens infinitivi
vocis ἐμὶ sum, & μὴ esse adverbium prohibendi vel negandi;
non, ne. Hoc unicum tantum observandum, omnia praecepta ne-
gatiua mandatum quoque in se continere, semperque ubi officium
negative describatur, simul innui ex aduerso virtutem positiuam.
Sed haec per se clara sunt atque perspicua.

Vocis
πλήκτης
origo

§. 11. Properamus igitur denique ad vocem πλήκτης,
in qua cum totius rei cardo vertatur, eam paulo penitius atque ac-
curatius considerare iuuabit. Inquiremus itaque primum in vocis
originem & significationem, deinde nostram sententiam rationibus
confirmabimus, & denique cotradicentium examinabimus argu-
menta. Derivatur haec vox ex verbo πλήσσω vel πλήττω percu-
tio, ferio, quod testibus Lexicographis proprie & ordinarie phy-
sicam ac violentam percussione inuuit. Id quod multorum scri-
ptorum auctoritate comprobant. *Interdum autem*, inquit Henr.
Stephanus, (a) ἐπλήγην pro percussus sum, unde πλήγεις
percussus, perturbatus. Plato Epist. 7. πλήγεις ἐγὼ τῷ λεχ-
θῆντι. *Quidam tamen de animo putarunt dici ἐπὶ ἀγλῶ sicut*
ἐπλήγλω de corpore. LXX. Interpretes saepe in versione sua hac
voce pro violenta percussione usi sunt, e. g. Exod. IX. 31. 32.
14. Num. XXV. 1. Sam. V. 12. 2. Sam. XI. 15. 1. Reg. XIV. c. XXII. 2. 15.
Esa. I. 5. IXXV. 1. 7. Zach. XIII. 6.

Significatio

§. 12. Denotat igitur πλήκτης percussorem, qui promptus est
ad verbera incutienda. vide Henr. Stephanum (b) & Ioh. Scapulam,
(c) Plutarchus, pergit Stephanus, in Fab. κατὰ χεῖρα πλήκτης,
quod redditur: manu promptus, manu strenuus. Ex eodem
B. adfert πλήκτης sine adiectione positum pro pugna. Ad
unum ferme omnes interpretes hanc vocem per percussorem ver-
tunt. Optime eam quoque Ambrosius (d) per verberatorem expressit.
Ioh. Cocceius (e) & Io. Contr. Dietericus (f) vocabulo per-
cussoris vocem pulsatorem adiungunt. Non desunt quidem, qui,
ut infra videbimus, hanc vocem etiam obiurgatorem & moraliter
percutientem denotare autumant. Quod ipsis facile concedere
possemus,

(a) In Lex. graeco (b) Lex. ad hanc vocem. (c) Lex. (d) T. 5. fol:
402. (e) T. 5. Opp. in Tit. 1. 7. f. 415. (f) Lex. graec.